

D. O. M.

THESES ANATOMICÆ ET CHIRURGICÆ.



VARIIS corporis humani noxiis à Chirurgo medelam afferri non posse, nisi Physiologiæ, Hygienes, Pathologiæ, Therapeutices Anatomiæque præsertìm principia apprimè calluerit, apud omnes in confesso manet. Bubonis venerei in glandulis præcipua sedes; itaque de illo acturi, glandularum structuram, differentias & usus per quàm breviter in antecessùm exponemus.

EX ANATOMIA.

I.

IN gyrum movetur sanguinis massa quæ primo intuitu ex rubris & lymphaticis globulis omninò quasi constari videtur; verùm

hanc humoribus diverſimodè configuratis, variâ indole præditis, uſibuſque diverſis inſervientibus turgere patet.

I I.

Ex his, alii, ut ſaliva, humor pericardii, peritonæi &c. à ſanguine ſecernuntur vaſis ſecreto-excretoriis, ut vocant; & extrà corpus tanquam inutiles ejiciuntur, aut cum ſanguine deviâ circulatione denuò miſcentur; lympha verò vaſis lymphaticis ab ipſo immediatè ſegregatur, peculiarem circuitum ſubitura. His operationibus peragendis præcipuè inſerviunt glandulæ, quas in ſecernentes, lymphaticas & nothas vel ſpurias dividimus. An ſecernant? an lympham perficiant hæ ultimæ? ob rei difficultatem hactenùs liquidò determinare non potuerunt Anatomici; idcirco tale nomen aliundè à nonnullis indicatum illis imponere juvat. e. g. Thyroidea.

I I I.

Corpusculum quodvis ex vaſis omnimodè intertextis conflatum, extùs peculiari membranâ cinctum, intùs cavum & canali excretorio donatum glandulæ ſecernentis nomine inſignitur; pars vero ſubſtantiâ, fibroſâ, parenchymatoſâ, veſiculosa nec non lymphaticorum ſurculis prædita, nervis, ſanguiferiſque vaſis irrigata, duplici involucro incluſa, magnitudine & figurâ varia, glandula lymphatica audit: ſecernentes; ſalivales, pancreaticæ, &c. Lymphaticas è contra; meſaraicæ, jugulares, inguinales &c. glandulæ probant.

I V.

Quædam ex his omnibus ſunt conglobatæ ex unico corpuſculo conſtantes; ſive ſecernant, ut inteſtinales Peyeri & Peklini; &c. Hæ in craſſioribus ſolitariè, illæ verò in tenuioribus inteſtinis racematim congeſtæ villoſam tunicam inter & celluloſam Albini utræque ſitæ; ſive lympham perficiant, quales ſunt axillares &c. Quædam conglomeratæ, quæ ex pluribus ſecernentibus ſimplicibus adunatis, unicâ communi tunicâ celluloſâ ſimul involutis, componuntur. e. g. pancreas &c. Compoſitæ & ſimplices à Boerrhaavio nuncupantur.

V.

A ſitu, figurâ, magnitudine, colore, conſiſtentiâ, uſu & munere prædictas partes innumeras accepiſſe denominationes,

tam omnibus notum, ut hic verbis indicare prolixiùs necessum non existimemus.

V I.

SECERNENTIUM glandularum usus est liquidum secretum vel extrà cutim propellere ut subcutaneæ aut sebaceæ fortasseque sudoriferæ, Miliares dictæ; vel in cavum quoddam stillatìm infundere ut foràs eliminetur, internè-ve absorbetur, aut partìm intùs partìm extus, & sanguini mediatè vel immediatè rursus insinuetur, ut in pituitariis nasi, plexûs choroidei, salivalibus, gastricis, innumerisque aliis conspicuum.

V I I.

CIRCA secretiones variæ propositæ fuerunt sententiæ mechanicis legibus non æquè consonæ; cùm verò natura ubique suis in operibus simplex sit constans & uniformis, hinc illis assentimur qui vasorum osculis, liquido per illa transituro paulò majoribus eas perfici contendunt. Ubi excretio momentanea & deest receptaculum commune ad recipiendum & quodam temporis spatio fovendum & asservandum liquorem à vicinis partibus segregatum, ibi glandulam adesse censemus. Ex hoc fundamento ab aliis secretionum organis folliculo duntaxat & canali excretorio ex illo prodeunti glandulas differre, ad secretionem nihil præstare sed receptorii tantùm officio fungi, & cerebrum, renes &c. è numero illarum eximendos esse cuivis attendenti facilè obvium.

V I I I.

MANIFESTUS licet haud sit glandularum lymphaticarum usus, attamen illas lymphæ elaborationi inservire omnibus fere cum Anatomicis autumamus. Hæ glandulæ vasis equidem sanguineis & nervis irrorantur; verùm quamnam sequuntur viam? In interiori liquidum lymphæ mutationi aut ipsius perfectioni idoneum evomunt-ne? Illæ opiniones etsi veritati proximæ uberiori Anatomicorum disquisitioni committendæ.

EX CHIRURGIA.

Sperne voluptates, nocet empta dolore voluptas.

I.

TOT & omnium sævissima ex impuro concubitu nascuntur mala, quot ex legitimo amplexu amœnitates & deliciæ exurgunt. Malorum catervam parit omnesque corporis partes immaniter depascit tabes venerea, sanguinem aut potiùs lympham inficit id morbi genus; Prothei ad instar innumeras agit tragœdias, & gonorrhœam, cancros, artuum dolores, exostoses, bubones &c. producit; hos ultimos tantùm pertractare animus est.

I I.

TUMOR durus, renitens, plus minus-ve dolens, ad suppurationem ut plurimùm difficilè vergens, inguinales, jugulares, parotides, &c. glandulas occupans; à coitu impuro, lactatione &c. mediatè vel immediatè exortus, Bubo nuncupatur.

I I I.

AB essentiâ, tempore, situ, accidentibus varias mutuatur differentias; unde essentialis aut primitivus, criticus aut symptomaticus meritò dicitur; pudendagræ quandoque comes; luem veneream quandoque indicat.

I V.

ESSENTIALIS ex impuro congressu immediatè vel paulò post prodit; symptomaticus è contrà, supressæ pareiùs-ve fluenti gonorrheæ succedit; cancros veretri in viris aut pudendi in fæminis comitatur, vel nullâ proximè prægressâ causâ manifestâ supervenit.

V.

PHLEGMONEM, schirrum, œdema æmulantur bubones. Ovi columbini, gallinacei, pugni quandoque molem adæquant. Alterutrum vel utrumque inguen infestant. Nunc unicam, nunc plures infarciunt glandulas.

VI.

Lympha lue infecta & in glandulis inguinum convecta, inibi fiftitur, coagulatur, unde ingurgitatio, tumor, incipiente malo exiguus; novo lymphæ jugiter fluentis aggestu iterùm distenduntur glandulæ & crescit tumor; inflatione dolet, calet, pulsat, & phlegmonosus, aut indurescit & schirrosus, vel tandem mollior fit saltem superficie tenùs & œdematosus subnascitur bubo.

VII.

Phlegmonodes facilè resolvitur, si non in suppuratum vertit; Schirrodes verò difficillimè & ad duritiem propensiùs accedit; facile quidem, quoad superficiem, resolvitur œdematodes bubo, liquidiori autem sero exhalato spissior fit lympha cellulis impacta & resolutioni aut suppurationi concipiendæ parùm idonea.

VIII.

Sæpe sæpiùs incessus difficilis & ad statum pervenit bubo immutato cutis colore; glandulas prætereunte seminio venereo, sanguinem pervadit, totam illius massam lue inquinat, & similia in glandulis, diversa verò aliis in partibus procreat mala.

IX.

Bubones venerei, à benignis, pestilentialibus, strumosis, scorbuticis herniisque signis peculiaribus necnon symptomatibus facile distinguendi.

X.

Vel æqualem præbent superficiem & unica, vel inæqualem & plures seminio contaminantur glandulæ. Hi compositi, illi simplices vulgò denominantur. Si calor, dolor, pulsus in tumore sint insignes, phlegmonodem; si moderatiores, & prementis digiti vestigium facilè admittat & tardè dimittat, œdematodem; si tandem horum fermè expers durior remaneat & validè renitatur, schirrodem bubonem adesse certò pronunciabitis. Denique ægrum percontanti præcedentibusque attendenti judicatu facile an essentiales, an gonorrheæ cancrorum-ve comites, an syphilidis latentis indicia sint bubones venerei.

X I.

Essentiales, modo necessariæ adhibeantur cautelæ curatu faciles, difficiliores symptomatici. Phlegmonosi, faciliùs œdematosis & schirrosis resolvuntur aut suppurant; hi enim in veri schirri plerumque & in carcinomatis aliquandò degenerant naturam; delitescentes periculosiores habeantur.

X I I.

Pro diversâ bubonis naturâ varia medendi ratio; ad unum tamen idemque caput præcipuè revocanda. Pro luis venereæ indicio bubonem agnoscunt Sapientiores Artis Magistri; hinc ipsum non solis topicis curationeque locali, sed hydrargirosi tutiùs impugnandum; hinc ipsius resolutionem aut suppurationem ex topicis infidas concludimus.

X I I I.

Bubo essentialis, ex recenti lue oriundus leviori hydrargirosi profligatur. Criticus verò, syphilidis vetustioris vulgò soboles, ampliori feliciter debellatur; variis pro re natâ in utroque non neglectis remediis topicis, vel internis ritè inter se consociatis.

X I V.

Ante omnia præmittenda generaliora remedia; venæ sectiones largâ copiâ si phlegmonodes, parciori si œdematodes aut schirrodes fuerit bubo; Cathartica leniora in priori, fortiora in aliis adhibenda; Balnea, diæta tenuis, potus diluens, aliaque imperanda.

X V.

Buboni plurima competit curatio localis, à variis topicis, scalpello causticis petenda. Cucurbitulæ à nonnullis laudatæ tanquàm inutiles rejiciantur.

X V I.

Resolutione, suppuratione, vel induratione frequentiorem exitum obtinet bubo. In priori casu, anodina, emollientia, & resolventia præsertim mercurialia tumori superimponantur. Si suppuretur auctis accidentibus, anodina, maturantia, peptica admoveantur. Induratus denique ne malo novam ansam præbeat, si possibile, excidatur.

X V I I.

Resolutione, quantùm possibili, cautè tamen tentandâ curandus Bubo. Suppurat verò quandoque, & varia in hoc casu,

pro variâ ſuppurationis naturâ curandi via. Ut exitus puris concilietur, ferrum vel cauſtica temerè non adhibeantur.

XVIII.

Ante perfectam puris coctionem præmatura à nonnullis laudata nocet inciſio. Pure confecto glandulisque perfectè ſuppuratis, ſi phlegmonoſus fuerit bubo, pus ne ſinus efformet, inciſione eliminandum; quod, ſi lento pede congeſtum, nullo modo neceſſarium, naturæque committendum felix demonſtrat praxis.

XIX.

Buboni œdematoſo aut ſchirroſo, ferrum & cauſtica utiliter admoventur. Suppurati margines duri ſcarificandi vel cauſticis urendi; carnes fungoſæ & luxuriantes levioribus corroſivis reprimendæ; glandularum fragmenta, ſi quæ ſint, ſcalpello aut cauſticis eximenda, ſinus detergendi, cicatrix promovenda.

XX.

Cæterum generatìm bubo phlegmonodes topicis vel ſcalpello curandus; œdematodes per reſolventia & ſcarificationes diſſipandus, ſchirrodes vel ſectione totali vel cauſticis extirpandus.

Has Theſes, Deo juvante *& Præſide* M. ROBERTO-FRANCISCO RUFFEL, *Artium & Chirurgiæ Magiſtro, Pathologiæ Profeſſore Regio, tueri conabitur*, Guillelmus-Stephanus-Maria Ruffel, *Pariſinus, in almâ Univerſitate Pariſienſi Liberalium Artium Magiſter.*

PARISIIS,

IN REGIIS CHIRURGORUM SCHOLIS.

Die Martis 10ª Julii à ſeſqui-ſecundâ poſt meridiem ad Septimam. Anno Domini 1753.

PRO ACTU PUBLICO,

ET

MAGISTERII LAUREA.

Typis Delaguette Regii Chirurg. Collegii Typographi. 1753.